

~~SECRETUM~~

flumine ripae aliena comprehendatur, disceptatum fuit, equidem regulam esse puto, ut praeter ius trahendi nauigium nihil hoc iure contineatur, nisi plus eodem esse comprehensum recte demonstretur. Ius conducendi in itinere riparum isti iuri plerumque cohaeret, et per consequens ius exigendi debitam more maiorum functionem, quod tamen intra fines lege, pacto aut more constitutos, coercendum erit. Itaque Princeps territorialis, qui hanc patitur seruitutem, nihil quidem, quo eius exercitium impediatur, facere debet, sed ipsi Principi omnem magistratum et potestatem in flumine eiusque ripis, vicinis et accolis autem riparum proprietatem, secundum modum agrorum, et domino territorii fluminis dominium, cum omni utilitate commodo et accessionibus vsuque nauigationis ex iure publico privatoque vindicandum puto. Ex quibus facile etiam intelligitur in nauigatione, ripis et conductu sine Principis territorialis consensu nihil inuouari oportere, eiusque esse curare, ut ne quid detrimenti territorium, populusque suus inde capiat.

*„Schiffarth weder auf gedachten Leinpfad noch mittelst Arrestirung des Markschiffe oder sonstu verhängen lassen.“* En exemplum seruitutis memorabile, quod principiis a nobis allatis illustrandis apprime utile est. SALZMANNVS Paedagogus nostrae aetatis facile praestantissimus de isto nauigio Francofurthano T. IV. *der Reisen der Salzmannischen Zöglinge*, Lips. 1787 quae in oculos incurrunt retulit, docuitque alumnos suos in re praesenti, quod isto nauigio itur amoenum iter, origines et iura, quantique sit momenti discant ex ephebis egressi in scholis scientiarum solidiorum.

C

CAROLO